

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica invocavit

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica Invocavit.

Evangelium Matth. 4. v. 1. --- 11.

EXORDIUM.

ZAchariæ Prophetæ olim in visione ostendebatur summus Sacerdos Josua, stans coram Angelo Domini: & Satanas stabat à dextris ejus, ut adverteretur ei. Sed dixit Dominus ad Satanam: increpet Dominus in te, satan: increpet Dominus in te. Et dabit ipsi ambulantes de his, qui assistebant ei, Zach. 3, 1. seqq.

Hæc mirabilis visio est, cujusmodi Prophetæ V. T. multas habuerunt, juxta illud: Si quis fuerit inter vos Prophetæ Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Num. 12, 6.

Josua fuit typus Christi, non solum propter nomen, Josua enim interpretatur Salvator: Sic Christus salus Dei est, usque ad extremum terræ, Es. 49, 6. Sed etiam propter officium. Erat enim summus sacerdos. Sic Christus quoque verus Pontifex N. T. est Heb. 9, 1. caput Ecclesiæ suæ, Eph. 5, 23. Dominus templi, Mal. 3, 1.

Josua indutus erat vestibus sordidis, h. e. non ornatus erat sanctis illis vestibus, quæ summo sacerdoti Aarone destinatæ erant, Ex. 40, 13. Sic Christus nostri causa, velut maleficus morti est traditus, quia pater ejus cælestis in eum conjecerat peccata omnium nostrum, Es. 53, v. 6. 2. Cor. 5, v. ult.

Pontifici Josuæ Satanas à dextris stabat, ut resisteret ei: Sic & Christus à satana in deserto tentatus est à dextris & sinistris, trifariam: sed non potuit eum superare tandemque cum ignominia eum relinquere coactus est. Ut enim ibi Angelus Domini dicebat: Increpet te Dominus satan, & dabit Josuæ sanctos Angelos, qui eum tueantur: Sic &

Christo satanam tentatorem abegit, dicens: Apage satan! Ubi lætissima Catastrophe sequuta est, de qua Evangelista ait: Tunc reliquit eum diabolus, & ecce! angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Nos absq; ulteriori præfamine ad ipsum Evangel. nos conferemus, & discemus ex illo

I. Ἀντιπρολογίαν, sive notitiam nostri.

II. Ἐπίλογον, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Quod primus Adam in Paradiso esu pomi deperdidit, id alter Adam jejuni quadragesimali restituit, & vindicavit morsum calcanei, quo ab infernali serpente læsus, ita, ut caput ejus contriverit, Gen. 3, 15. tandemque in ara crucis omnia consummaverit, Joh. 19, 30. Hinc omnibus nobis magnum resultat solatium. Esa. 55, v. 5.

Notitiam vero nostri suppeditat nobis

I. *Christi examen*, quo in deserto tentatus est. Quia enim Servator Baptismum susceperat, à Johanne, ubi vox Patris cælestis insonuerat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3, 17. Hinc ansam quæsiit diabolus Christum tentandi. Permittit igitur Deus id satanæ, filiumque suum hunc in finem à Spiritu Sancto in deserto duci vult, ut eum diabolo in arenam descendat, & trophæum hoc insigne reportet, eoque se ipsum illum Prophetam, à Mose promissum, esse demonstrat, Deut. 18, 15.

Idem omnibus veris Christianis contingit, ut tentatione diaboli non possint superfedere, ideoque satanæ causæ habent, ex oratione Dominica precandi:

Ten-

tentationem Tentationem ne feras,
Nos qndo Quum nos malignus Satanas
Sinistre Captat sinistre, dextere; *atq; dextere*
Da for Da fortiter resistere, *Lite resistere*
Tunc Firma Firma cataphractus fide *sic experit*
Currus Sanctique Spiritus ope. *sancti Spiritu*

Führ uns HERR in Versuchung nicht!
 Wann uns der böse Geist anficht!
 Zur linken und zur rechten Hand!
 Hilf uns thun starken Widerstand!
 Im Glauben fest und wohl gerüst!
 Und durch des Heiligen Geistes Trost.
Hic probate, mi Christiane! utrum etiam
hac in parte cum voluntate Dei contentus fu-
eris, aut potius, te sine tentatione in Christia-
nismo fore, tibi persuaseris?

Multi sane inveniuntur, qui deo saltem
 templum frequentant, concionem audiunt,
 Sacramentis utuntur, & precantur, ut à cruce
 & tentationibus immunes esse velint,
 quod si itaque calamitatibus & ærumnis in-
 festantur, iniquo animo idferentes dicunt,
 ex Mal. 3. 14.

Tales sibi aureum seculum cum Evange-
 lio habiturum, persuadent, non perpenden-
 tes quod vita hominis perpetua militia sit,
 Job. 7. 1. Idem enim ille diabolus, qui Chri-
 stum tentavit, adhuc hodie circumit, velut
 leo rugiens, quærens quem devoret, 1. Pet. 5.

Christus in deserto, sine dubio in Arabiæ
 deserto erat, cū à diabolo tentaretur, in quo
 olim Moses & Elias tanquam typi Christi
 jejunaverant.

Nos quoque in eremo hujus mundi sum-
 mus, quo ex paradiso ob peccata relegati sum-
 mus, ut igitur hic totus in maligno positus
 est, 1. Joh. 5. 19. sic & nos parati stemus ad-
 versus insidias Diaboli, Eph. 6. 11. qui prin-
 ceeps & Deus hujus mundi nominatur, Eph.
 6. v. 12. 2. Cor. 4. v. 5.

Deserta sunt sterilia, in quibus præter ar-

anferas husta & spineta parum offenditur.
tentat Satana Sic in mundo hoc parum boni reperitur.
 fuit sanctus de terra, & rectus in homini-
 bus non est, Mich. 7. v. 2. Ose. 4, 1. Tandem
 hæc sterilis arbor delebitur & in ignem mit-
 tur. Matth. 7, 19.

Deserta sunt in via, ut facile in iis aberra-
re possis, ut Hagar, Gen. 21, 14. Sic in de-
serto hujus mundi, multæ & variæ sunt viæ, ut
via meretricis, Prov. 7, 8. Via Balaam, filii Bo-
lor, 2. Pet. 2, 15. Via augurum, Jud. 9, 37. &
curvæ viæ aliæ, Pl. 125, 5. ad perditionem du-
centes, Matt. 7, 13. Ideoq; caute ambulare
debemus, non ut insipientes, sed ut sapien-
tes, Eph. 5, 15. Una enim tantum via ad cœ-
lum est, Joh. 14, 6. In hac ambulare nos o-
portet, non declinantes neq; ad dexteram,
neque ad sinistram, Esa. 30, 21.

In deserto fures & latrones latent, qui via-
toribus insidiantur, Luc. 10, 30.

Sic in hoc mundo dantur viri mendaces,
 qui nequiores sunt furibus, Sir. 20, 27.
 latrones animarum, Joh. 10, 1. & alii nefandi
 homines, qui proximi animæ & corpori, ho-
 nori & opibus incommo- dant, inter quos pii
 habitant, velut inter spinas & scorpiones,
 Ezech. 2. v. 6.

In deserto vagantur omnis generis ferae, id-
co de Christo dicitur, quod fuerit μέλα τῶν
θηρίων, Marc. 1, 13. Tales quoque inveniun-
tur inter homines, ut Deus ipse conqueri-
tur, Esa. 1, 3.

Et sicut Israëlita inter Cananitas habita-
 re tenebantur, ut per ipsos Israëlitas proba-
 ret, Jud. 1, 28. Sic Deus quoq; fideles suos in
 desertum abducit, ut eos tentet, & eorum fi-
 dem exploret. Recte enim Bernhardus: *Li-*
lium esse inter lilia, magnum non est, sed lili-um
esse inter spinas, hoc vere magnum. Sir. 13, v. 1.
 Sap. 4. v. 12.

Hæc tentatio bono nostro inservit. Sicut enim

Q

enim aurum in igne, sic homines receptibiles in camino humiliationis probantur*, Sir. 2, 5. Non itaque iræ indicium sunt tentationes piorum, sed gratiæ, Tob. 12, 13. At sine tentatione esse periculosissima tentatio est, hinc Gregorius: *Diabolus eos tentare negligit, quos jure perpetuo se possidere sentit.* Pius vero insidiatur, velut venator, Ps. 91, 3. multasque habet *μυδοειας*, quibus eos invadit. Eph. 6, v. 11.

Quia enim diabolus à salute exclusus est, ideo & hominibus eandem invidet; ideoque dies noctesque terram perambulat, Joh. 1, 7. & variis technis utitur, ad homines capiendos, quod si solus nequit, septem sibi assumit spiritus nequiores, Luc. 11, vers. 26. Hoc quia non latet nos, stemus in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & sinistris. 2. Cor. 6, 7. apprehendentes gladium spiritus, & clypeum fidei. Eph. 6, v. 16.

III. *Diabolice tentationem.* Ubi Evangelista triplicem tentationem recenset: Aggreditur enim Christum

1. *Spiculo paupertatis & inopia*, quia enim Christus esuriit, postquam quadraginta diebus & noctibus jejunaverat, hinc ansam tentator cepit, dicens, ad Christum: Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Sed Jesus respondit: Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Deut. 8, v. 5.

Poruisset quidem Christum, juxta Augustinum, è lapidibus panes facere, ut brevi post in nuptiis Cananæis aquam in vinum transmutavit, Joh. 2, 10. Sed noluit hoc diabolo dare. Ibi enim fides in discipulis sequebatur: sed hic fides desperata prorsus erat. Neque enim diaboli à Deo hanc gratiam habent: sed ut catenis noctis ligavit eos: sic cruciani reservantur in judicium, 2. Pet. 2, v. 4.

Quod si itaque adhuc hodie diabolus mi-

feriam & inopiam tibi exprobrat, noli propterea animum abjicere, non enim Christianismus noster, & quod filii Dei sumus, consistit in pane naturali: Sodomitæ enim omnia in abundantia habebant, qui tamen à facie Dei abjecti, igne & sulphure debebantur, Gê. 19, 24. Sed in omni egressione oris Domini, sine verbo promissionis Dei. Deut. 8, 3. quo sibi confidentes lætificat, licet non suum, sed aliorum frumentum & mustum multiplicata sint, Psal. 44, v. 8.

2. *Spiculo temeritatis & superbia.* Adsumsit enim tentator Christum in sanctâ civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandabit de te: & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem, pedem tuum. His verbis ad temeritatem Christum perducere satagit, ut vocatione sua abjecta, saltum per aera faceret, & in discrimen vitæ veniret, ideoque omittit, quod è re sua non est, nempe *in visis tuis*, in quibus vermis maximum momentum positum est. Prov. 21, 8. Sed Christus refellit eum vicissim ex Scriptura inquitens: Scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum. Deut. 6, 16.

Hoc spiculo adhuc hodie multos infestat Diabolus, quâdo iis inanem gloriam proponit, & ambitionem animis instillat, ut Absalom, 2. Sam. 15, 3, 4. & Ario contigit.

Pertinent huc etiam funambuli, natatores & *πολυπαγμονες* alii, qui tenuis lucri gratia periculum vitæ adeunt. Item Alchymistæ, qui compendio ditescere volunt, ubi tamen multi hoc ipso in mendicantium ordinem rediguntur. Promisit enim nobis Deus opem & subsidium, *in visis non in precipitiis*, ut Bernhardus loquitur. Qui amat enim periculum, peribit in eo. Sirac. 3, v. 37.

3. *Spi-*

3. Spiculo sublimitatis & avaritiæ. Duxit enim Christum in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me. Qualis hic mons fuerit, non exprimitur. Neque enim mons tam excelsus datur, in quo omnia mundi regna conspici possint. Ideoque Lucas addit, factum esse, *ἐν ἑνὶ μὲν χρόνῳ*. Ex quo constat, quod tantum phantasma fuerit, in quo Christo *πάσας τὰς βασιλείας τῆ γῆς* demonstravit.

Sed hoc admiratione dignum est, quod Christo pollicetur: *Hæc omnia tibi dabo*. En, spiritum impudentissimum! qui regna mundi promittit illi, qui regna caelorum credentibus præparavit, ut Chrysostomus scribit. Spondet, se omnia regna daturum, qui nihil habet, ei, qui omnia possidet. Ab eo jubet se adorari in terra, quem Angeli & Archangeli adorant in cælo. Ideoque Christus amplius auscultare minime vult, sed ait: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Hic probet se unusquisque, annon & ipse diabolo morem gesserit, ut ex dissidentia adversus Deum, ex ambitione aut præpostero mundi amore & gloria ejus deliquerit?

Experientia utiq; satis superque testatur, multos esse, quibus, quando in morbos, egestatem, aut alias calamitates incidunt, dissidentiam fatanas instillare satagat, ut fiduciam in Deum, preces & bonam conscientiam abjicere debeant, sicut id ipsum in Jobo probavit, c. 2, 9. 10. Sed pii Christiani non abjiciant fiduciam, sed reputent secum, quod Paulus ait: Quos Deus diligit, castigat, Hebr. 12, 6. & seqq.

Quot inveniuntur eorum, qui ambitione adeo efferuntur, ut sorte sua contenti

esse nolint, sed prohibita media apprehendant, quibus ad dignitatem adspirent, ad exemplum Protoplastorum, qui Deo similes esse volebant, Gen. 3, 5.

Quoties contingit, in hac mundi senectute, ut homines leves inveniantur, qui diabolum adorent terreni lucri ergo? & à veritate Evangelica declinantes, Deum Mazzim venerentur? Dan. 11, 38. Ubi nulla alia causa subest, quam quod ipsis diabolus ostendit regna mundi & gloriam eorum.

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, justificetur adhuc. Ecce, venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua, inquit primus & novissimus, Apoc. 22, 11. 12.

Genuini Christiani gratia & ope Dei contenti sunt, nec animis cadant, licet omnia in deterius vergant, non enim mediis adstrictus est naturalibus: sed potens est facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3, v. ult. Neque tentent Deum uti cives Bethulienfes, Judith. 8, 11. Neque prohibita media apprehendant, ut ad sagas & ariolos se convertant, Levit. 20, 6. neque obturent corda, Pl. 95, v. 8.

Caveant quoque, ne mundi pompa oculos suos perstringat; Eligant magis affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Heb. 11, 25. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus. 1. Joh. 2.

III. *Subsecutiū levamen*. Cum n. diabolus nimis impudens esset, abegit eum Christus à se, dicens: Vade Satan; Et continuo relinquere Dominum cogebatur. Et ecce! angeli accesserunt, & ministrabant ei. Sic tandem Dominus victoriam reportavit, & satis probavit, se ideo in mundum venisse, ut dissolveret opera diaboli, 1. Joh. 3, v. 8.

Hic examines velim te, utrum etiam Satana nisi a te abegeris, vel potius opera ejus usua fueris.

Venefici & sagax, qui peculiare fœdus cum diabolo pepigerunt, ipsi ut Domino suo, in omnibus obsequuntur, & sic salutis jacturam faciunt.

Sed veri Christiani abominantur spiritum hunc malignum & student potius salvatori suo fideles esse usq; ad mortem, Ap. 2, 10. Licet enim hoc in mundo, duram pauperiem pati teneantur, & sæpe plus lapidum quam panum habeant, hoc tamen solatio sustentantur, quod post hanc vitam æterna futura sit, ubi abundantia omnium bonorum sequetur. Esa. 65, v. 14.

Quodsi in hoc mundo in infimo ordine spreti & abjecti vivunt, Job. 12, 5. norunt tamen se reges & sacerdotes fore, Ap. 1, 6. qui die & nocte Domino serviant, in templo ejus, Ap. 7, 15. Ibi dicitur: Amice ascende, Luc. 14, 10. Sap. 5, 2.

Quodsi mundanis dignitatibus & gloria destituantur, reputent secum, non se de mundo hoc esse, Joh. 15, 19. Sed πολιτευμα suum habere in cœlesti Hierosolyma, Phil. 3, 20. & Dominum mercedem suam fore, ubi accipent regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. Sap. 5, v. 17.

Si ita diabolo repugnaverimus, nihil nobis efficere poterit, sicut nec Christo obfuit, omnia enim possumus in eo, qui nos confortat, Christo, Phil. 4, 13. Et sicut hic Christum relinquere cœactus fuit, sic & Deus qui fidelis est, non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione evasionem, ut possimus sustinere, 1. Cor. 10, 13. Tob. 3, v. 21. & seqq.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem *ἡ ἀποστολή*, sive notitiam Christi contem-

platuri. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc præsentè:

1. *Tanquam frater noster suavissimus*, qui nobis in omnibus similis factus est, excepto peccato. Heb. 2, 17. 18. Hoc elucet:

1. *Ex quadragesimali jejunio*. Hoc ipso Mosis & Eliæ se conformare voluit, qui etiam tantisper sine cibo & potu conservati sunt, quod quoq; procul dubio in eadem eremo factum est. Lucas memorat, Dominum quadraginta diebus tentatum, ex quo colligere possumus, tentationem diaboli non tunc primum incepisse, sed continue durasse. Neque enim diabolus quiescit, sed dies noctesque operosus est. 1. Pet. 5, 5. Quod vero Matthæus scribit, tentatorem tunc Christum accessisse, hoc de tentatione graviore intelligendum est, qua diabolus eum invasit, cum jam post quadragesimale jejuniū fame premeretur, quod alias quoq; ei cōtigit. Mat. 21.

Nos hinc colligimus, quod verus homo, & sic frater noster sit. Esurire enim humana proprietas est, quæ ad temporalem hanc vitam spectat. In altera enim non amplius esuriemus; Non enim regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. Rom. 14, 17. Apoc. 7, v. 16.

2. *Ex tentationis periculo*. Erat Christus Filius Dei vivi, Mat. 16, 16. Et ita ille ipse, qui prævaricationem consummare, peccatum obsignare, & iniquitatem delere debebat, Dā. 9, 24. Attamen hic cum diabolo in arenam descendere, & juxta beneplacitum patris cœlestis, tentationem ejus experiri cogitur. Facile igitur cogitare possumus: Si hoc fit in ligō viridi, in arido quid fiet? Luc. 23, v. 31. Ideoque cum metu & tremore salutem nostram operari debemus. Phil. 2, 12.

Sufficiat nobis scire, quod Christus frater noster sit. Quodsi enim jejunare tenemur, & ipse ante nos jejunavit: quodsi à diabolo

ten-

tentamur, ipse ante nos tentatus est: Et per meritum suum jejunium & tentationibus nostram ita sanctificavit, ut diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonum, Rom. 8. v. 28. sciunt enim & humiliari & abundare, satiari & esurire, Phil. 4, 12. sciunt, quantum esse maximum, pietatem, cum animo, suam sorte contento, 1. Tim. 6, 6. Scimus prætereà Diabolum ex se nihil posse, si enim tantum posset, quantum vult, aliquis piorum non remaneret, ut Augustinus ait. Coram eo enim gaudet mœror, Hiob. 41, 13. Sed potestas ejus sub potestate est, & sic ligata, ut contra Dei voluntatem, nec pediculum procreare possit. Exod. 8. v. 18.

II. *Tanquam prostrator Diaboli potentissimus*, Sicuti enim aliàs Deus omnia ordinavit, in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 22. Sic neq; Christum ultra id Diabolus tentare potuit, quàm ei à Deo permissum fuit. Mensurâ itaq; tentationis impletâ, amolitur cum Christus, inquit: Apage satan! Et illicò discedere & mittere Christum tenebatur. Hoc consolatione plenum est.

Diabolus aliàs spiritus est terribilis:

1. *Propter potentiam*, unde etiam gigante comparatur, Es. 49, 25. Sicut itaq; omnes Israelitæ Goliathum stupebant, & metuebant nimis, 1. Sam. 17, 11. Sic omnes naturâ Diabolum metuimus, quia peccatores nos esse scimus, & per peccata domum ei ornamus, ut scopis mundatam inveniat, & ingrediat eam Luc. 11, 25. Neq; ullâ corporali vi ei resistere valemus, Job. 41. v. 19.

2. *Propter versutiam*. Sicut enim peritus belli Dux, urbem vel munimentum aliquod invasurus aut obsessurus, prius omnes aditus explorat, ut sciat, ubi commodissimè munimentum adoriri & oppugnare debeat; sic Diabolus, ut spiritus versutissimus, novit, cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebras gula

ingerat, cui apponat incitamenta luxuria, cui infundat virus invidia, novit, quem mœore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, ubiq; causas querit nocendi, ubiq; viderit studiosius occupari, Verba sunt Leonis, Serm. v. 11. de Nat. Domini. Unde nō incommode mille artifex, qui nomina mille, mille nocendi artes novit, ille appellatur.

De Catilina refertur, quod quod plures ad partes suas perduceret, variis modis homines inescaverit: *avaris offerebat pecunias, superbis reip. munia, voluptuosos voluptates*. Sic Diabolus cujusq; naturæ & complexionis se accommodare novit, est enim serpens directus & serpens tortuosus. Esa. 27. v. 1.

3. *Propter industriam*. Non enim dormit, sed nocte quoq; nobis dormientibus ambulat, & zizania inter triticum seminat. Matt. 13, 25.

Pius ille Anachoreta Antonius aliquando totum mundum restibus qs. opertum, cernebat, quibus exterritus, exclamabat: O Domine, quis evadet!

Quod si & nobis oculi aperirentur, ut famulo Elisæi, 2. Reg. 6, 18. Cum admiratione sanè videremus, quot Diabolus laqueos explicaverit, in paupertate, & copia, in cibo & potu, in dormiendo, & vigilando, à dextris & sinistris, 2. Cor. 6. v. 7.

Sed Christus Servator victor est Diaboli, qui universa ejus arma abstulit, quibus confidebat, Luc. 11. v. 22.

Si Diabolus potens, hic multò potentior est. Psalm. 135. v. 6.

Si Diabolus versutus, hic multò astutior est, novitque fideles è tentationibus eripere. 2. Petr. 2. v. 9. Prov. 21. v. 30.

Si Diabolus alacris & indefessus, hic multò vigilantior est, & nocte & die confervans suos, Esa. 27. v. 3. Psalm. 121. v. 5.

Quæramus igitur victoriam, per eum, qui nunquam victus est, sed qui vicit in omnibus, ut Ambrosius monet, sic & nos vincemus propter eum, Rom. 8, 37. 1. Job. 5, 4.

III. *Tanquam Dominus Angelorum magnificentissimus.* Discedente enim Diabolo, Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Sancti Angeli idè creati sunt, ut Deo ministrarent, & adstant, quam ob causam etiam πνεύματα δεσποζύια nominantur, Heb. 1, 14 qui coram facie Dei adstant, & non solum ejus mandata expediunt, Ps. 103, 20. sed etiã Deum ter sanctum indefinenter celebrant, ipsiusq; gloriam, ter geminã hymni repetitione, velut amplificanc. Job. 38, 7. Es. 61, 1. 3.

Hoc etiam de Christo intelligendum venit, qui tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit. Hebr. 1. v. 4. Phil. 2. v. 10. 11.

Angelus conceptionem ejus annuncia- vit, Luc. 1. In Nativitate ejus totus militiæ cœlestis exercitus apparuit, & intonuit: Gloria in Excelsis Deo, Luc. 2. v. 30.

Josepho Angelus in somnio apparuit, & fugam Ægypti consuluit, cùm Herodes quæreret puerum perdere, Matth. 2. v. 13.

In passione Angelus ipsum confortavit, Luc. 22. v. 43.

In resurrectione Angeli mulieribus apparuerunt, & dixerunt: Surrexit, non est hic. Mare. 16. v. 6.

In Ascensione Angeli currum ejus triumphalem adornarunt, eumq; in numero

vicies centenorum millium comitati sunt. Ps. 68. v. 18. Die novissimo rediturus est in majestate sua, & omnes sancti Angeli cum eo. Matth. 25. v. 31.

Ex quibus omnibus satis apparet, quod Jehova ille sit, qui angelos sub obsequio habet.

Rex Salomo quadraginta millia equorũ habebat, qui ad currus jungebantur, & duodecim millia equestrium, quos præfecti Salomonis nutrire tenebantur, 1. Reg. 4, 26.

Hoc nihili æstimandum venit, ratione Christi. De hoc enim dicitur: Millia millium (Angelorum) ministrabant ei, & decies centena millia adstant ei. Dan. 7, 10. Propterea vocatur Dominus Zebaoth, Ps. 24. v. 10. In quorum numerum quoq; sancti Angeli referendi sunt, qui omnes ipsi à servitio sunt, & celeres, instar ventorum, mandata ejus exequi tenentur. Psalm. 104. v. 4.

Quapropter cum animi piã devotione eum invocemus, quod si enim infernalis ille tentator ad nos venit, jaculis suis ignitis nos læsurus, dabit ille nobis, de his, qui adstant sibi, ut in Exordio ex Zacharia audivimus: hi nos custodient, in omnibus viis nostris, Psalm. 91. v. 11. & tandem in hora mortis animam nostram, quando corpore soluta est, portabunt in sinum Abraham, Luc. 16. v. 11. Ubi nullum tanget eam tormentum. Sap. 3. v. 1. Largiatur hoc nobis Deus ter Opt. Max. per Jesum Christum,

Dominum & Salvatorem nostrum!

Amen.

Dominica Reminiscere.

Evangelium. Matth. 15. v. 21. --- 28.

EXORDIUM.

CUm Amaleciti in Raphidim irrupissent, & extrema Israëlitarum castra, quæ ex mulieribus & liberis constabant,

percussissent, Moses Josuæ mandabat, ut eligeret viros, & pugnaret adversus Amalec, ipse verò ascendebat super verticem col-

col-